

i) SS.mi Sacramenti visitationes suo in grege quam maxime foveat Pastor bonus, quo dum sanctissimus ille mos servatur quo maiores nostri sub vespere, Divino Hospiti hoc amoris officium persolvebant, et Illum erga observantia ac cultus impense augescet<sup>1</sup>.

337. — Ad SS.mi Sacramenti Expositionem quod attinet sequentia in re primi ordinis ac scitu pernecessaria liturgica principia prae oculis habeantur:

a) Pro privata SS.mi Sacramenti expositione fieri nequit eo modo quo velum extensum in tabernaculo expositionis plicatur, et ipsum in repositione explicatur, media chordulae cuiusdam distensione aut relexatione<sup>2</sup>.

b) Pro Solemni SS.mi Sacramenti Expositione [illa, nimirum quae ostensorio fit, cam quo benedictio fidelibus impertitur] Ordinarii venia requiritur, quae iuxta diocesis consuetudines, generalis vel peculiaris, explicita vel implicita esse potest<sup>3</sup>. Pro privata vero [illa, scilicet, quae ciborio ante Tabernaculum exposito fit] Ecclesiae Moderatoris licentia sufficit<sup>4</sup>.

b) Quoad SS.mi Sacramenti Expositionis tempus, generatim neque ante auroram, neque noctu<sup>5</sup>, vel nimis nocturno appropinquante tempore, absque Ordinarii consensu, eam fieri licet<sup>6</sup>.

c) In altari ubi SS.mi Sacramenti Expositio habetur, reliquias, statuas, animarum in purgatorio degentium imagines, expondere non licet<sup>7</sup>. Ex his vero primae, dummodo haud venerentur, neque cum ipsis benedictio fidelibus impartiatur, in alio Ecclesiae altari ponere fas est<sup>8</sup>. Candelabra inter, florum vascula ponere licet<sup>9</sup>; sed, extra missam, ut altaris mensa omnino libera sit, canonum tabellae exportentur<sup>10</sup>. Insuper, si, missarum tempus excipias<sup>11</sup>, crux auferenda semper. Dum in quounque Ecclesiae altari missae celebrantur, tintinnabula sileant<sup>12</sup>, et ubi SS.mum exponit sacramentum, sacram fidelibus administrare Eucharistiam non licet.

d) Candelae saltem sex in SS.mi Sacramenti privata expositione ardeant; in solemn i vero ad minimum decem<sup>13</sup>, et in perquam solemnii viginti saltem accendantur. Coram statuis prope SS.mum Sacramentum adstantibus, incendere cerea non licet, et aliae candelae ex stearina intra altaris ambitum adhiberi non possunt<sup>14</sup>. Electrica luce licet in altari una cum candelis uti; gaz vero minine<sup>15</sup>.

e) In ostensorio Sacra Hostia conspici debet<sup>16</sup>, nec lumina vel specula ad

<sup>1</sup> Cfr. Leo XIII, e Secret. Brev., 20 april. 1896; Encycl. *Mirae charitatis* 22 maj. 1902; S. D. N. Pii PP. X, epistol. 6 jul. 1909.

<sup>2</sup> S. R. C. 12 jul. 1901, et 30 jul. 1910.

<sup>3</sup> Ephemerid. Liturgic. t. 8, p. 563 et l. 10, p. 171.

<sup>4</sup> Id. loc. cit.

<sup>5</sup> S. R. C., 17 dec. 1675.

<sup>6</sup> S. C. 30 nov. 1889.

<sup>7</sup> Institut. Clement. § 4; S. R. C. 2 sept. 1741, ad I; 19 sept. 1888.

<sup>8</sup> S. C., 17 jul. 1900 ad II.

<sup>9</sup> Institut. Clement. § 5, n. 6.

<sup>10</sup> S. C., 20 dec. 1864, ad III.

<sup>11</sup> Institut. Clement. § 30, n. 6: Benedict. XIV, *Accepimus*, 10 jul. 1646; S. C. R. 2 sept. 1741.

<sup>12</sup> S. C., 31 aug. 1867 ad 10; 11 mart. 1868.

<sup>13</sup> Institut. Clement. § 4; S. C. 2 sept. 1741, ad I; 10 sept. 1883; Cfr.

<sup>14</sup> S. R. C. 30 jul. 1910.

<sup>15</sup> S. R. C. 8 mart. 1879.

<sup>16</sup> Institut. Clement. § 37, n. 28.

ejus ponere terga, licet<sup>1</sup>. Ciborium seu pixis numquam super thronum deponendum<sup>2</sup>, sed super altaris mensa, vel saltem, tabernaculi in limine. Ostensorium vero semper in praedito auleo throno exponi debet, quod, nisi metallo aurato confectum, ut alba serica cooperiri<sup>3</sup>, vel saltem inibi serica preevalere debet. In publica SS.mi Sacramenti expositione ante Ipsum ponere velum, a sacerdote vel aedituo auferendo vel moderando non licet<sup>4</sup>, nisi vexillum album quando concio habeatur, neque ad SS.mum in throno elevandum Sacramentum, mechanica quadam ratio adhiberi potest<sup>5</sup>.

f) SS.mi Sacramenti Expositionis tempore, continuo adsint adoratores, et ubi sat cleri sit, ut ipsos inter unus saltem sacerdos semper habeatur, omnino expedit<sup>6</sup>. Clerici nondum in sacris constituti superpellicum induant; sacerdotes insuper et albam stolam deferant<sup>7</sup>; canonici vero ac Praelati, chorali tantum incendant habitu. Super altaris gradus ante mensam positos sistere, nemini licet, sed separate in subsellio, panno coloris [ut plurimum] viridi cooperto, maneant. Coram altari transuentibus in quo, sive ciborio, sive ostensorio, SS.mum expositum prostat Sacramentum, capite detecto, utroque semper genu flectendum<sup>8</sup>.

338. — Haec omnia praesertim in XL hor. Expositione servanda veniunt, quae pia praxis, utpote Divino pergratissima Hospiti, ac amplissimarum ditata indulgentiarum, ut in paroeciis omnibus instituatur, ac [qua par est devotione ac solemnitate] habeatur, quam maxime consulendum. — Sed quae recoluimus et in SS.mi Sacramenti Processionibus omnibus servanda sunt, et quae de similibus rerum adiunctis alibi diximus, prae oculis habere oportet. Processio attamen quae in Festo Corporis Christi fere ubique ducitur peculiarem expostulat curam, ut non tantum maximo cum ordine, sed et cum maxima pompa celebretur. In re vero, sui iuris haud oblitus Pastor, regulares omnes non ultra medium miliare a civitate distantes et in strictiori clausura non viventes, quos decenti ac consueto more huic processioni interesse debere sacri dicunt canones, accedere iubeat<sup>9</sup>. — Si post missae sacrificium processio ducatur, SS.mum Sacramentum per functionem totam deferre celebrantis est, qui, aperto semper capite, pluviali indutus et cum velo albo super humeros defluo, sub aula ac alba umbella incendendo, ac thuribulis facie versu ad Sacramentum fumigantibus, omnino composite ac devote gestet. Si altaria per vias constructa habentur, pausatio ac benedictio inibi haberi possunt, et in processionis

<sup>1</sup> S. R. C. 3 aug. 1821 ad V.

<sup>2</sup> Id. 31 maj. 1642, 23 id. 1735, 16 mart. 1876, 20 april 1902.

<sup>3</sup> S. C. 13 febr. 1892.

<sup>4</sup> S. C. 12 jul. 1901.

<sup>5</sup> Id. 29 april. 1875.

<sup>6</sup> S. C. 10 sept. 1701, 10 dec. 1896.

<sup>7</sup> Id. 18 dec. 1896.

<sup>8</sup> S. C. 19 aug. 1651; 7 maj. 1746 ad IV — Cfr. S. R. C. in *Parisien*.

<sup>14</sup> jan. 1898, in *Westmonasterien*. 27 maj. 1911.

<sup>9</sup> Cfr. S. C. C. in *Granaten*, 12 jun.

1910.

exitu, decantato *Pange lingua* hymno, SS.mi Sacmenti benedictio [non ad illa verba sit et benedictio] populo impertienda est. De SS.mi Sacmenti processionibus infirmorum aegrotantiumque caussa duendis, loco suo, opportunius alibi dicemus.

**339.** — Tandem has inter ad SS.mum Sacmentum publicas preces, et triduana supplicatio a S.mo D. N. Pio PP. X universim praescripta locum obtinet, et in re ordinationes Eius huc redeunt:

Beatissimus Pater ratus ad hunc optatum finem assequendum admodum conferre si christiani populi assiduis precibus, una simul effusis, dulcissimam Deo vim inferant, in votis habet ut, quotannis, si fieri poterit, in singulis cathedralibus Ecclesiis, infra Octavam Corporis Christi, vel si locorum et personarum adiuncta aliter expostulaverint, alio anni tempore a Rmis Episcopis statuendo, triduanae Supplications celebrentur iuxta methodum heic subiectam:

I. Supplications semper peragantur feria VI, sabbato et die dominica vel immediate post solemnia Corporis Christi, vel alio tempore, ut supra relatum est<sup>1</sup>. Hisce vero singulis diebus sermo habebitur, quo populus edoceatur de ineffabili Eucharistiae Sacmenti praestantia, et potissimum de animi dispositionibus ad illud rite suscipiendum. — Hoc expleto, publicae venerationi exponatur SS.ma Eucharistia, eaque coram sequens recitabitur oratio:

« O dulcissime Iesu qui in hunc mundum venisti ut omnes animas vita ditares gratiae tuae, ad quam in illis servandam simulque fovendam in Augustissimo Eucharistiae Sacramento salutare pharmacum earum infirmitatibus sanandis, et cibum divini debilitati sustinendae temetipsum quotidie praebes, Te supplices deprecamur ut super eas sanctum tuum spiritum benignus effundas, quo repleteae, lethali labe si quae sint inquinatae, ad Te revertentes, vitam gratiae peccatis desperitam recuperent, quae vero, Te misericorditer largiente, iam Tibi adhaerent, quotidie, prout cuique dabitur ad tuam caelestem Dapem devote accedant, qua roborate, venialium culparum ac quotidie admissarum antidotum sibi comparare, vitamque gratiae tuae alere valeant, siue magis magisque emundatae, sempiternam in coelis beatitudinem consequantur. Amen ». Dein vero, post cantum hymni *Tantum ergo*, populo Benedictio SS.mi Sacmenti elargiatur.

II. Die vero Dominica quae postrema erit earumdem supplicationum, mane, more consueto, missa parochialis celebrabitur, in qua, habita a Parocho homilia de Evangelio Dominicae infra octavam solemnitatis Corporis Christi, quod optime consonat mysterio Eucharistiae explanando, christifideles coniunctim de altari sancta libabunt; sin autem alia eligatur Dominica extra praefatam octavam, loco homiliae in Evangelium diei, concio fiat ad populum, qua ferventius ad Eucharistiam in ipsa Missa suscipiendam disponatur.

III. A meridie eadem sacrae functiones iterentur quae anteactis diebus sunt perfectae. In concione tamen oratores ad ferventiorē erga sanctissimum Sacramentum pietatem hortentur fideles, speciatim vero ad frequentiorem coelestis Convivii participationem, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam. Tandem, antequam hymnus *Tantum ergo* decantetur, hymnus Ambrosianus praemittatur.

IV. Quo vero omnibus magis innotescat quam ardens sit desiderium Summi Pontificis frequentioris communionis promovendae, maximopere Ipse commendat ut in cu-

<sup>1</sup> Ubi *Adoratio perpetua* instituta est, in ea haberi possunt [S. C. C. 26 febr. 1908].

rialibus etiam templis, prout quisque Episcopus pro sua prudentia et sagacitate diuidabit, saltem locum habeat ea pia exercitatio quae in Cathedralibus Ecclesiis celebraanda superius est proposita die Dominica infra eamdem solemnitatis Corporis Domini octavam, vel alia in anno Dominica.

V. Hisce autem piis exercitationibus, ut alacrius intersint fideles, SS.mus Dominus Noster in indulgentias defunctis quoque applicabiles clementer elargitus est, uti infra: nempe 1<sup>o</sup> septem annorum totidemque quadragenarum quolibet Triduanarum precum die; 2<sup>o</sup> plenariam semel in Triduo lucrandam, die cuiuslibet arbitrio eligenda infra ipsun Triduum, si eidem qualibet die devote adfuerint, simulque sacramentali confessione expiati, S. Synaxim suscepient et ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint: 3<sup>o</sup> Plenariam die Dominica ab omnibus acquirendam, qui confessi ad sacras Epulas simul congregati accesserint in Cathedralibus Ecclesiis et etiam in Curialibus et, ut supra, preces effuderint<sup>1</sup>.

**340.** — Profecto hisce documentis apertis illud patefieri nequibat, quantum Beatissimo Patri ac Summo gregis dominici Pastori cordi sit ut SS. Eucharistiae cultus, veri Emmanuelis veneratio ac amica frequentatio, inter christifideles promoveantur. Qua re et hi omnes quibus animalium cura concredita est summa ope nitantur oportet ut hisce Supremi Pastoris sensis ac optatis in universo grege adeo sedula sollicitudo religiosaque obedientia respondeat, ut, quod saepius auspicatum fuit, SS. Sacmenti saeculum revera aevus noster dicatur ac sit.

### § III. — De SS.ma Eucharistia uti spirituali fidelium alimento.

SUMMAE RERUM. — 341. Animadversiones praeviae. — 342. De SS.ma Eucharestia in tempore paschali ac perdurante infirmitate aegrotis deferenda, et ad rem numerima decreta. — 343. De SS.mi Viatici administratione et in re canonica ac moralia pracepta. — 344. Pastorales industriae inibi servandae quae esse possint.

**341.** — Dei Filius qui Suo nos Sanguine redemit, qui Deus et homo pro nobis in altari residet, qui satisfactionis beneficia quotidie renovat, miro amore ac potentia, quae his maiora nobis tribueret invenit; nam Corpus Suum in cibum, et Sanguinem Suum in potum, nobis praebuit. Summum hoc, inter tanta divinae largitatis beneficia ac dignitatis ad quam homo elevatus est, certissimum pignus: hac, enim, mensa frui non posset nisi divinae consortem fieri naturae misericordiarum Pater eum vocaret. Idcirco de SS.ma Eucharistia, uti spirituali fidelium alimento, dicendum est, quo in negocio, perspicuitati ordinique

<sup>1</sup> Decret. S. R. C. 10 april. 1907, ad verb. relat.

studendo, quae communibus in adiunctis, cum ipsis a Pastore praestanda sunt, a coeteris peculiaribus in contingentibus ab ipsis exigendis, seiungimus. In primis Paschale praeceptum recolendum est [de quo inferius aptius dicemus]; altera in classe SS. Viaticum ac prima Puerorum Communio continentur de quibus nunc agendum.

**342.** — Quoad SS.mam Eucharistiam aegrotantibus infirmisque christifidelibus omnibus administrandam, perspicuitatis caussa, tres distinguimus casus, Paschali, nimirum, tempore, infirmitate perdurante, ac de in proximo mortis periculo positis. Igitur:

a) In tempore Paschali in die ac hora, inter primas diei, electa, his omnibus qui, aegritudinis caussa, ad Ecclesiam se conferre non possunt, SS.ma Eucharestia, perquam solemniter, deferenda est. In re quae a Pastore servanda sint, tum quae de processionibus omnibus, ac praesertim de illa in *Corporis Christi* solemnitate, mox recolumus, tum quae de altera *Viatici* memorabimus, dicent.

b) Infirmitate perdurante, ne tanti Sacramenti fructu preventur aegroti, materna Ecclesiae sollicitudo nuperrimas leges<sup>1</sup> edxit quae sic audiunt:

I) Etsi aliquid per modum potus aegroti antea sumpserint, servatis in coetero regulis a *Rituali Romano* et a S. R. C. ad rem prescriptis, qui a mense decumbant, quin certa arrideat spes ut cito convalescant, necnon hi qui, quamvis gravi morbo correpti, et ex medici iudicio naturale ieunium servare non valentes, tamen in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus diei horis surgere queunt, de confessarii consilio SS. Eucharestiam sumere possunt<sup>2</sup>.

2. Si agatur de infirmis piis in domibus degentibus ubi SSimum servatur Sacramentum, vel missae celebrationis privilegio gaudentes, quamvis non jeuni, semel aut bis in hebdomada SSimum Sacramentum sumere possunt<sup>3</sup>.

3. Pro his vero qui, quamvis non reapse aegroti, tamen ieunium haud ferre queunt, servatis servandis a dispensatione indigitatis ac medici testimonium accidente, quibusdam in adjunctis, Apostolica Sedis super ieunium dispensat<sup>4</sup>.

II) Quid vero per modum potus intelligentum sit, ex praecedentibus declarationibus patet, nimirum, ut dummodo mixtio naturam liquidi non amittat, permititur ut iusculum, coffeum, aliaque [uti condita farina, friatus panis] permisceantur<sup>5</sup>.

III. Hinc exoritur quaestio, quinam referendi ritus haberi debat, quum, ob magnam frequentiam aegrotorum hanc consolationem devotionis caussa, postulantum, solemnis ac canonicus ritus observari nequeat, vel saltem magnum impedimentum afferat. Qua in re penes Episcopum prudenti arbitrio esse ut auctoritate sua, pri-

<sup>1</sup> S. C. C. 7 dec. 1906.

<sup>2</sup> Id. Ibid.

<sup>3</sup> Id. Ibid.

<sup>4</sup> Cfr. documentu XVIII ad calc. vol.

<sup>5</sup> S. R. I, 7 dec. 1897.

vata m SS.mum Sacramentum deferendam rationem permettere possit, communior in Romana Curia adprobata sententia tenet. In his vero adiunctis, consuetam S. Communionis formulam [non vero illam Viatici] adhibendam esse per se patet, qua [sit per transennam dictum] et in omnibus adiunctis in quibus illa Viatici infirmi animum nimis percellat, uti potest.

**343.** — Tandem de SS.mo Sacramento per Viatici modum christifidelibus deferendo dicentes, tum ex canonibus<sup>1</sup>, tum ex theologia moralis, plura fundamentalia principia recolenda veniunt, quibus commentarium practicum addemus. Igitur:

I) SSmi Viatici administratio ius parochiale est, et urgentis necessitatis, vel obtentae licentiae casibus exceptis, nemini, et praesertim regularibus omnibus [sub excommunicationis poena] Eum deferre licet.

II) Quibus SSimum Viaticum administrandum sit:

a) Generatim: cavendum est ne, cum aliorum scandalo ad indigos [uti sunt publici usurarii, concubinarii, notorie criminosi, nominatim excommunicati aut denunciati ecc.] S. Viaticum deferatur, quin S. Confessionem se purgaverint et publicae offensioni, prout de iure, satisficerint.

b) Peculiariter:

I) Qui ex infirmitate continuo aberrant, aut apoplexia, suffocatione, epilepsia, vel strangulatione uterina, sensibus destituuntur, aut identidem vomitu, ejectione sanguinis, tussi perpetua vexantur, vel ex stomacho cibos indigestos statim reiciunt, donec spes sit malum non esse resuscitandum, a SS. Communione suspendantur. Si vero per unius, vel alterius horae spatium adeo quietem aliquam indulget aegroto, ut morbi vim ita fractam vel saltem mitigatam esse, ut S. Viaticum periclitanti praeberti possit indicium est. — Si tandem dubium aliquod adhuc supersit, panis frustulo vel modica aqua subministratis, experimentum fieri poterit, quae si stomachum retinuerit, etiam hostia sacra tuto porrigi potest. Infirmi vero si integrum sumere hostiam non possint, minor eiusdem particula, in argenteo cochleari vel, saltem, mundo vase vitro [deinde purificando] praebatur.

2. A mentibus, pietatis sensu nunc alieni, si prius, quando mentis suea compotes erant, piam animi voluntatem haud praesetulerint, sacramenta dari minime poterit. — Si vero apposita habeatur condicio, tunc dummodo nullius indignitatis et incommodi periculum pertimescendum sit, viaticum eis administrare licebit. — Tandem semifatuis, mutis ac a nativitate surdis, dummodo hunc coelestem cibum ab aliis distinguere scient, et quibusdam signis id prodant, Viaticum dandum est; quod tamen epilepticis in paroxismo positis denegandum semper est. — Reis ad ultimum et capitale supplicium damnatis, non tantum poenitentiae, sed etiam Eucharestiae sacramentum etiamsi non ieunii<sup>2</sup>, ministrandum est<sup>3</sup>.

3. Tempore vero pestis, et asiatici morbi, quamvis, ut plurimi censem, dumtaxat sacramenta ad salutem necessaria [baptismum, nempe, ac poenitentiam] suis fidelibus administrare Pastor teneatur, attamen, lege saltem caritatis, suas oves de

<sup>1</sup> Cfr. DD. cit.

<sup>2</sup> S. C. Prop. Fid. 5 jul. 1841.

<sup>3</sup> Cfr. Berengo, op. cit. n. 101, et In-

struct. Eystettens., n. 58.

tanto adiumento hand privare potest. Attamen ne luem contrahat, vel coeteris communicet [sublimato diluito, lysophormio et similibus adhibitis] cautelas omnes adhibere tenetur, neve plures ss. particulas ferat quam aegrotis sufficiant.

4. Quoad infantes in articulo mortis constitutis SS. D. N. Pius PP. X, sic decernit:

Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Uncione post usum rationis, eosque sepeliendi ritu parvolorum, In eos qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinari locorum severe animadverfant<sup>1</sup>.

Et recte sane quum, ex communi Doctorum sententia, omnes qui in periculo mortis constituti sunt, non solum ex iure ecclesiastico, sed immo et illo divino, ad SS. Eucharistiam suscipiendam teneantur<sup>2</sup>. At ad rem plura mox.

c) — Quando administrandum sit Viaticum *Ritualis* monet, quum, nimurum, probabilitas adsit ut ne sive per decessum, sive per sensum amissionem, vel propter alias circumstantias, SS. Communionem sumere deinde infirmus haud possit. Circumstantiae, igitur, perpendendae sunt de quibus mox dicemus.

344. — Hisce praehabitibus ad quaedam in re pastoralia, monimenta gressum facimus, quae ita pestringimus:

a) Proximae mortis deprehendere indicia<sup>3</sup>, potiusquam doctrina ac praecepsis, experientia docebit, cui si Parochus diligenter studeat, punctum omne feret. Attamen oculi vitrei, pulsus rarus, respirationis lenitas vel suffocatio, et similia, quaedam in re argumenta [quibus haud certo fidendum] praebent. Si probus adsit medicus, eius consilio innitendum est; si atheus vel peius, quam maxime diffidendum. Semper vero ne tum ab infimo qui numquam morti proximum se credit, tum ab eius Parentibus qui, vanis suffultis rationibus, procrastinare contendunt dependeat Parochus quam maxime suadendum. In re melius esse abundare quam deficere, non tantum sibi persuasum Pastor habeat, sed et coeteris omnibus quorum interest quoque recolet. Coetera inferius.

b) Quamvis loci pravitas vel vilitas a SS.mo deferendo Viatico minime obsint, attamen, ne irreverentiae locum sit, circumstantiae aliquando considerandae veniunt, necnon synodalibus praescriptionibus studendum.

c) Antequam SS.mum deferatur Viaticum, aegrotus praedispontus est, qua in re, interdum, etiam probis cum hominibus, multum erit operis! At perquam prudenter tum per se, tum per alias ex aegrotantis familia personas, [ac praesertim orationibus Deo fusis, ac

<sup>1</sup> Decret. *Quam singulari* cit.

<sup>2</sup> Cfr. Gennari, *Commentar. cit.*

<sup>3</sup> Cfr. Bouchut, *Les signes de la morte*, Paris, 1895, et indic. alphabetic. *Aegroti, Infirmi, Medicina Pastoralis, Mors.*

per socios Confratern. S. Barbarae, cuius hoc peculiare munus est] hanc persuasionem in infirmum immittere conetur Pastor bonus, cui saepe et ad sanitatem hoc sacramentum prodesse, recolet. Si vero dummodo publicitas devitetur, assentitur ipse, in quantum fieri potest adnuendum: enimvero absque necessitatis caussa tempore nocturno SS. Viaticum aegrotantibus deferre, liturgia sacra prohibet. Nostris vero praesertim temporibus, quidquid tum in sacerdotis personis, tum in tempore ac ratione ad hanc obligationem facilis solvendam conferre potest, assentiatur Pastor, ac nullo modo nulla ratione, impedimentum ponat. In primis, enim, et ante omnia praeepti essentia curanda, cui [in quantum licet] adjuncta caetera omnia locum cedere debent.

d) Quoad modum in Viatici administratione adhibendum, exterrnum seu extra aegrotantis commorationem, ab illo infra ipsam adhibendo sciungere operet.

I. — Quoad [si ita loqui fas est] internum *Ritualis* docet, neque hunc ritum, nec paschali quidem tempore, immutare licet<sup>4</sup>.

II. Quoad ritum externum:

1. Antequam ab Ecclesia sacerdos discedat, S. Pixidem non tantum sumat, sed et intus eam inspiciat, ne vacuam ipse deferat. Enimvero, saepe nimis, sacra inutilia vasa in Tabernaculo manent, quos asportare omnino decet.

2. — Ordinaria ratione, pedite, detecto capite<sup>5</sup>, stola<sup>6</sup> ac superpelliceo patente<sup>7</sup>, SS. Sacramentum deferendum est. In casu autem necessitatis tantum, Ordinario vel consuetudine adprobantibus, super dictis conditionibus adeo dispensatur ut tecto capite, curru, vel equo<sup>8</sup>, et, birota [*bicicletta, vélo, Rad*] sacerdos viaticum deferre possit.

3. — In quantum circumstantiae sinunt, ac nostrorum temporum iniquitas concedit, numquam occulte, noctu, vel sub veste, sed publice<sup>9</sup> ac semper maxima cum devotione et fidelium aedificatione, perquam reverenter, Viaticum aegrotantibus fidelibus deferendum est.

4. Urgentis excluso necessitatis casu, ut, in quantum fieri potest, multitudo fidelium Regi Sacratissimo coronam faciens, ad Ecclesiam se conferat cum Ipso ac sacerdote ad infirmum profectura, campanae signum detur. SS., enim, Sacramenti miseranda solitudo, vel parvus

<sup>1</sup> S. R. C., 11 febr. 1702.

<sup>2</sup> S. R. C., 23 aug. 1696, 31 aug. 1872.

<sup>3</sup> S. R. C., 23 jun. 1893.

<sup>4</sup> S. R. C., 16 dec. 1826.

<sup>5</sup> Id. 23 januar. 1740. Cfr. S. Alph.

<sup>6</sup> VI, 243.

<sup>7</sup> S. R. C. 6 febr. 1875: 31 august.

<sup>8</sup> 1872.

comitatus nunquam satis improbanda. Indulgentias ditissimas Viaticum comitantibus concessas, pluries in anno fidelibus recolantur<sup>1</sup>.

5. Post SS.mi Sacramenti sumptionem, corporis cura ac medendi arte [utpote clericis interdicta] aliis relicta, aegrotum non derelinquat Parochus, sed nullo pauperes inter et divites discriminare facto, etiam non vocatus, non tam frequenter, quam assidue, eum inviset. Sed de hoc opportunius alibi dicemus.

#### § IV. — De Prima Puerorum Communione.

SUMMAE RERUM. — 345. SS. D. N. Pii PP. X in re nuperrimae ordinationes quae sint. — 346. Canonum de re synopsis. — 347, 348. Industriae pastorales inibi praे oculis habendae quae.

345. — Prima puerorum Communio, a qua saepe totius vitae ratio ac uberrimi fructus, ex aliis quoque successivis communionibus percipiendis dependent, singularem Pastorum solertiam exigit. Qui, enim, pueri puellaeque, rite convenienterque edocti ad primam vicem Dominicum Corpus manducandum praeparati accedunt, tanti Sacramenti sanctitatem ac maiestatem alte in animo impressam servabunt, quo non modo amplissima Dei munera quae ex unaquaque Communione rite suscepta diminant abunde consequantur, verum in huius miserae peregrinationis itinere ut ad caelestem patriam pervenire valeant, in Cibi illius fortitudine ambulandum esse ipsi agnoscent, et ne absque congruis dispositionibus ad hoc divinum convivium unquam accedere præsumant, deinceps sedulo cavebunt<sup>2</sup>. Ad tenera, igitur, puerorum corda erga Christum ferventiore amore incendenda, maximamque Eucharistici cibi existimationem in ipsis infundendam, nulli studio Pastores parcant.

346. — Quoad primam puerorum communionem SS. D. N. Pii PP. X, numquam satis laudandum decretum nuperrime editum extat, quo adeo in re recentissimum ius constituitur ut sapientissimas Eius ordinationes<sup>3</sup> [ad rem nostram attinentes] ad verbum referre iuvet.

<sup>1</sup> Cfr. Innocent. XI, Constit. *Iniuncti*, 1 octob. 1678; Innocent. XII, *Debitum pastoratis*, 5 jan. 1695.

<sup>2</sup> Cfr. *Instruct. Pastor. Eystettens*, n. 70; S. C. C., 23 mart. 1878.

<sup>3</sup> Decret. *Quam singulari*, cit.

I) Aetas discretionis tum ad Confessionem, tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utriusque præcepto Confessionis et Communionis.

II) Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christiana cognitio. Puer tamen integrum catechismum, pro modo sua intelligentiae, postea gradatim addiscere debet.

III) Cognitio religionis quae in puero requiritur ut ipse ad primam Communionem convenienter se præparet, ea est qua ipse Fidei mysteria necessaria necessitate mediis, pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat ut ea devotione quam ipsius fert aetas ad SS. Eucharistiam accedat.

IV) Obligatio præcepti Confessionis et Communionis quae puerum gravat in eos præcipue recidit qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessorium, in institutores et in Parochum. Ad patrem vero, aut ad illos qui vices eius gerant, et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem.

V) Semel aut pluries in anno curent Parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo noventes admittere, sed etiam alios, qui parentum confessarii consensu, ut supra dictum est, iam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et præparationis præmittantur<sup>4</sup>.

347. — Sed in re et alias iuris canonici præscriptions Pastori recolendae, quae hoc redeunt:

I. — De lege communi, puerorum ad prima communionem admissio necnon ipsius administratio, de iuribus parochialibus<sup>2</sup> stricte non sunt. Attamen, saltem in foro externo, haec iura aliquatenus reservari possunt, in quo dioecesana consulenda statuta<sup>2</sup>.

II. — Per primam ac secundam solemnem puerorum communionem [alicubi in locis haberi solitas] de generalibus Ecclesiae ac theologiae moralis præceptis, nil esse derogandum Pastores meminerint; quo fit ut statim ac ad primam pueri admissionem communio, ut christifideles omnes, præcepto paschali teneantur<sup>3</sup>.

348. — Hisce præhabitis ad quaedam in re practica principia recolenda gressum facimus<sup>4</sup>, nimirum:

a) Post pianam ordinationem, ultra VII aetatis annum primam pueris retardare communionem, ordinariis in adjunctis, non licet. Roma locuta est et causa finita est, ac utinam quaedam quoque in re [ianسنistica infecta lue] consuetudo, finiatur. Quapropter cum prima discretionis indicia puer exhibit<sup>5</sup>, quum, nimirum, caros Parentes dignoscit,

<sup>1</sup> Decret. *Quam singulari*, cit. — Cfr. Eiusd. epist. ad Episcop. Vallis Vidonis,

<sup>2</sup> 5 sept. 1910; ad Episcop. Prov. Rothomagens., 14 feb. 1910.

<sup>3</sup> Catechism. Concil. Trid. *De Eucharistia*, n. 68; Benedictus XIV, *Etsi minime*, 1742; S. C. C., 15 mart. 1851.

<sup>4</sup> Commentatores, decret. *Quam singulari* cit.

<sup>5</sup> Cfr. Gennari, *Commentar.*, cit., quo tanto duce, nostra tulimus.

<sup>6</sup> Cfr. S. Thom., III, p. q. 80 a. 9, ad. III; Id. in IV Sentent.. dist. 9, q. 1, n. 5.